Gymnasium zu Schleiz.

Jahresbericht über das Schuljahr

von Ostern 1883—Ostern 1884

mit welchem zu der

Freitag, den 4. April

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

im Namen des Lehrerkollegiums

ergebenst einladet

der Direktor des Gymnasiums

Hermann Meier.

1884. Programm Nr. 649.

Schleiz.
Druck der Fürstlichen Hofbuchdruckerei: R. Rosenthal.

I.

Ordnung der Prüfung.

Choralgesang: Aus meines Herzens Grunde.

Von 8—9 Uhr: **Sexta:** Latein. Hartenstein.
Geschichte. Rüdiger.
Hugo Weisker aus Schleiz: Die zwei Hunde, von Pfeffel.
Paul Trinks aus Schleiz: } Ein kleines lateinisches Gespräch.
Richard Kaiser aus Oschitz: }
Paul Schlotter aus Schleiz: Das Lied vom Feldmarschall, von Arndt.

Von 9—10 Uhr: **Quinta:** Religion. Alberti.
Geographie. Schorr.
Otto Plessing aus Rudolstadt: Morgenlied im Frühling, von Wilh. Müller.
David Klinger aus Pausa: Das Erkennen, von Vogl.
Ernst Wachter aus Wurzbach: Drei Bitten, von Simrock.

Von 10—11 Uhr: **Quarta:** Latein. Vollert.
Mathematik. Westphal.
Hermann Seidel aus Seubtendorf: Das Glöcklein des Glücks, von Seidl.
Oskar Eck aus Lückenmühle: Der Priester zu Marienburg, von Müller.

Von 11—12 Uhr: **Tertia:** Deutsch. Vierke.
Französisch. Hermstein.
Johannes Trinks aus Schleiz: Der Graf von Habsburg, von Schiller.
Karl Völkel aus Ölsnitz: Harmosan, von Platen.

Gesang: Auf deinen Höhn, Volksweise.

Von 2—3 Uhr: **Secunda:** Latein. Göll.
Physik. Hartenstein.
Franz Kirst aus Weissbach: Die vier Weltalter, von Schiller.
Richard Nestmann aus Saalburg: Der Herzog von Burgund in Schillers Jungfrau von Orleans. (Eigene Arbeit.)

Von 3—4 Uhr: **Prima:** Griechisch: Meier.
Mathematik. Westphal.

Gesang: Himmlischer Tröster, Geist der Wahrheit, von Grell.
Bernhard Göhring aus Schleiz: In rebus adversis maxime enitet virtus. (Eigene Arbeit.)
Otto Müller aus Pössneck: Alexander und Cäsar. (Eigene Arbeit.)

Choralgesang: Nun danket alle Gott.

II.

De μή particulae cum indicativo coniunctae usu antiquiore.

Pars II: Aeschylum continens.

De μή particulae cum indicativo coniunctae usu antiquiore partem priorem usque ad Aeschylum pertinentem cum abhinc octo fere annos conscriberem[1]), subsistendum tum quidem mihi videbatur esse in fine sexti a. Chr. saeculi, posterioribus, qui ad annum fere quadringentesimum vixerunt, scriptoribus in aliud tempus reiectis. Nunc autem alterius adiungendae partis facultate oblata ut reverterer ad eandem quaestionem, eo magis sum adductus eis, quae B. Gerthius in annalibus a C. Bursiano editis[2]) de dissertatione mea iudicavit. Is enim, cum de singulis quibusdam rebus, maximeque de terminis, quibus enuntiationum ratio quae vocatur paratactica, quibus hypotactica circumscribenda esset, a me dissentiret, summam tamen disputationis sibi probari non dubitavit concedere. Liceat igitur ad poetarum tragicorum usum dicendi progredi et accuratius explicare, quatenus genuina vis atque notio μή particulae, quam prohibitivam esse parte priore demonstravimus, intra illorum quoque fabulas perspiciatur, quatenus temporis diuturnitate, cum pristinae significationis conscientiam paulatim interisse consentaneum sit, vel amplificatio vel deminutio usus antiquioris occurrat.

V.

De fabulis Aeschyleis.

Ac primum quidem nostrum erit de fabulis Aeschyleis disputare. Intra earum fines quae leguntur exempla ad propositam rem pertinentia, ea iam ita perscrutaturi sumus, ut eadem qua in carminibus Homericis tractandis divisione utamur et perlustremus deinceps enuntiationes primarias, ab εἴ particula incipientes, reliquam partem subiunctarum.

---

[1]) ed. Lipsiae, typis A. Edelmanni, 1876.

[2]) tom. XV (1878) pp. 269 sq.

A.

De enuntiationibus primariis.

1) Primo loco de eis sententiis disserueramus, quibus iusiurandum ita exprimitur, ut *μή* cum indicativo coniunctum legatur. Huius generis apud Homerum tria, in hymnis qui feruntur Homericis et in Theognidis carminibus singula exempla reperiuntur[1]): Aeschyli sat similis locus exstat nullus. At *οὐ* cum indicativo conexum praebent vss. Agam. 1431 sqq. D. (1393 sqq. H., 1385 sqq. K.)[2]):

καὶ τήνδ᾽ ἀκούεις ὁρκίων ἐμῶν θέμιν·
μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς Δίκην,
Ἄτην Ἐρινύν θ᾽, αἷσι τόνδ᾽ ἔσφαξ᾽ ἐγώ,
οὐ μοι φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖ e. q. s.

Hanc scripturam libris proditam omnes fere editores recentiores pro depravata videntur habuisse et alius aliam emendandi rationem excogitavit[3]); *οὐ* particulam nemo (praeter unum, quod sciam, Schoemannum, de quo vide Schneidewinum l. l.) de medio tollere conatus est. Quare, sive *ἐμπατεῖ* retinere sive *ἐμπατεῖν* (velut Hermannus et Dindorfius) substituendum esse putantes *ἐστίν* malumus supplere: remanet intra iusiurandum *οὐ* iuxta indicativum. Intercedit igitur, quae quidem adhuc est scripturae condicio, aliquantum similitudinis inter hunc locum et eum, quem part. I p. 12 tractavimus, O 36 sqq., quoniam uterque et iusiurandum et praesens tempus continet; differunt eo, quod Homerus *μή*, Aeschylus *οὐ* usurpavit. Quae vero l. l. de utriusque particulae sua ac propria vi commemoravimus, ea etiam ad Aeschyli versum quadrant. *μή* .... *ἐλπὶς ἐμπατεῖ* si Clytemnestra choro ultionis metum iniecturo respondisset, quasi iniucundam eam atque molestam cogitationem repudiare putandum esset: „bewahre, dass ein Gedanke von Furcht (?) ins Haus schreitet“[4]); et potuisse eam sic loqui docemur usu Homerico. *οὐ μοι* .... *ἐλπὶς ἐμπατεῖ* cum dicit, falso se et iniuria choro esse in suspicione metus tectum ingredientis simpliciter adfirmat ut rem omni dubitatione vacuam: „es ist nicht der Fall, dass; gewisslich nicht.“[5])

Sed ne quis opinetur ab Aeschyli oratione *μή* particulae usum intra eas enuntiationes, quibus iusiurandum pronuntiatur, omnino fuisse alienum[6]), adiungere liceat duos locos, in quibus iuxta infinitivum ex verbo iurandi pendentem *μή* legitur[7]);

Eum. 764 sqq. D. (756 sqq. H., 754 sqq. K.):

ὁρκωμοτήσας νῦν ἄπειμι πρὸς δόμους,

---

[1]) cf. part. I pp. 8 sqq., 42 sq., 60 sq.

[2]) Littera D ascripta significantur numeri editionis V Dindorfianae poetarum scenicorum Graecorum (Lipsiae 1869), littera H editionis II Hermannianae (Berolini 1859), littera K editionis Kirchhoffianae (Berolini 1880).

[3]) cf. ea, quae Dindorfius, Hermannus, Schneidewinus (Aischylos Agamemnon, 2. Auflage besorgt von O. Hense, Berlin 1883) adnotaverunt.

[4]) vide Schneidewinum l. l. p. 150.

[5]) cf. etiam quae part. I p. 11 de *P* 448 sq., qui versus item *οἴ* exhibent, explicavimus.

[6]) Alios certe scriptores, velut Aristophanem, eiusmodi exemplis etiam iuxta indicativum non carere docet praeter ceteros R. Kühnerus: Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache, edit. II (Hannover 1870) § 512, 4 (p. 743).

[7]) cf. part. I pp. 13, 61.

μή τοι τιν᾽ ἄνδρα δεῦρο πρυμνήτην χθονὸς
ἐλθόντ᾽ ἐποίσειν εὖ κεκασμένον δόρυ.[1])

Eum. 488 sq. D. (481 sq. H., 484 sq. K.):

ἥξω διαιρεῖν τοῦτο πρᾶγμ᾽ ἐτητύμως,
ὅρκον πορόντας[2]) *μηδὲν ἔκδικον φράσειν.*[3])

Etenim in subiunctas sententias hunc *μή* particulae usum transisse ex sententiis primariis cum luculenter appareat, si rationem paratacticam quasi retro euntes ex hypotactica restituemus, *μή* cum indicativo futuri exsistat necesse est hunc in modum:

1. *ὁρκωμοτήσας· μή τοι τις ἀνὴρ .... ἐποίσει,*
2. *ὅρκον πορόντας· μηδὲν ἔκδικον φράσομεν.*[4])

Sed unus restat locus, qui, tametsi ipsius iurisiurandi vim non continet, tamen *μηδέν* iuxta indicativum ostendit, Prom. 938 D. (942 H., 937 K.):

ἐμοὶ δ᾽ ἔλασσον Ζηνὸς ἢ μηδὲν μέλει.

Ipsi Prometheo haec verba omnes, quos quidem inspexerim, viri docti rectissime tribuunt praeter L. Schmidtium[5]), qui cur choro potius ea impertiverit, perspicere nequeo. Quid igitur hoc loco sibi vult *μηδέν*? Ratio grammatica nonne *οὐδέν* requirit? Schmidtius explanationem rei adfert nullam; N. Wecklinius[6]) haec adnotat: „Der abstrakte Begriff des Nichts wird durch *μηδὲν* (*τὸ μηδὲν*) gegeben"; adiungit autem complures locos vel Sophocleos vel Euripideos, quorum similitudine eam interpretationem fulciat.[7]) — Sed in omnibus illis locis et abstracto, quod vocat, *μηδέν* articulus praefixus legitur, qui tamen, cum eo ipso abstractam notionem effici consentaneum sit, nostro loco deest, et verba *τὸ μηδέν* genuina vi nominis substantivi praedita sunt, cum in hoc versu Aeschyleo nihil significent nisi gravius *μή*, et omnino eiusmodi explicatio magis quasi philosophiam redolet, quam ut probabilis sit. Immo vero ita res statuenda est, ut ex iis sententiis, quibus iusiurandum pronuntietur, in hanc sententiam *μή* vel *μηδέν* transmigrasse existimemus. Inest enim in ea quoque, id quod imperativorum et antecedentium et subsequentium copia docet, vehementior atque acrior animi adfectio, quae pluribus ita fere inlustratur: „Fern liegt mir der Gedanke, dass Zeus mich irgend etwas kümmert."

De versu Sept. 250 D. (233 H., 232 K.), quippe qui in numero enuntiationum interrogativarum referatur, infra disputabimus.

Praeterea indicativum iuxta *μή* intra sententiam primariam libri praebent Suppl. 812 D. (781 H., 776 K.), ubi de Iove haec leguntur:

βίαια μὴ φιλεῖς ὁρῶν,
σεβίζου δ᾽ ἱκέτας σέθεν.

---

[1]) His versibus simillimos Stanleius contulit Euripideos Suppl. 1190 sqq., ut ait Hermannus.

[2]) *περῶντας* M.; *πορόντας* recte Hermannus scholiastae usus adnotatione: *ὅρκον διδόντας.*

[3]) *φρεσὶν* M.; *φράσειν* primus restituit Marklandus.

[4]) Eum. 432 D. (424 H., 428 K.) *ὅρκοις* non cum indicativo *λέγω*, sed cum infinitivo *νικᾶν* coniungi debere contextu sermonis docemur.

[5]) Aeschylos Prometheus, erklärt von Dr. Ludwig Schmidt; Berlin 1870.

[6]) Aeschylus' Prometheus . . . . erklärt von N. Wecklein; 2. Auflage, Leipzig 1878.

[7]) Ceterum cf. Kühnerum, l. l. § 514, 4 (pp. 753 sq.).

Sed φιλεῖς esse depravatum inter viros doctos fere constat et alius aliam emendationem proposuit[1]; itaque hunc locum nominasse satis habeo.[2])

Denique Sept. 411 D. (392 H., 394 K.):

μὴ κακὸς δ' εἶναι φιλεῖ —

μή particulam non cum indicativo φιλεῖ, sed cum eis, quae proxima sunt, conectendam esse et sententia intellegitur et iis, quae scholiasta dicit: φιλεῖ δὲ τὸ μὴ εἶναι κακός. —

Quae cum ita sint, in Aeschyli fabulis μή particulam semel ad gravem adfirmationem exprimendam cum indicativo copulari adhuc cognovimus.

2) Sequitur, ut de iis enuntiationibus primariis verba faciamus, quibus notio metuendi subest. — Huius generis exempla supra commemoravimus Homerica tria, Theognidis unum.[3]) Atque ne Aeschyli quidem similibus locis caremus. E quibus primum huc pertinent vss. Prom. 67 sq. D. (H., K.):

σὺ δ' αὖ κατοκνεῖς τῶν Διός τ' ἐχθρῶν ὕπερ
στένεις; ὅπως μὴ σαυτὸν οἰκτιεῖς[4]) ποτε.

Haec Robur respondet Hephaesto miseriis Promethei se ingemiscere professo. Qui cum Iovis imperium exsequi gravetur, Robur eum iubet cavere, ne cunctando et gemendo efficiat, ut se ipsum aliquando commiseretur. Sententia igitur nihil difficultatis habet, constructio grammatica non item. Quid enim? quoniam ex eis, quae praecedunt, verba illa: ὅπως ..... ποτε non posse pendere apparet, utrum subaudiri aliquod verbum, unde pendeant, arbitremur an per se ea et stare et interpretanda esse censeamus? — Priorem viam iam iniit scholiasta — nam in margine codicis Medicei haec ascripta sunt: λείπει σκόπει[5]) — eamque explicationem et alii[6]) et Kühnerus probaverunt, qui l. l. § 552 adn. 6 (p. 893) haec dicit: „Ὅπως und ὅπως μή mit dem Indicativus Futuri ...... werden bisweilen auf ein zu ergänzendes ὅρα, ὁρᾶτε, σκόπει, σκοπεῖτε, vide, videte bezogen, um eine Aufforderung oder Warnung auszudrücken.“ Atque haec quidem, quae de argumento docet, recte se habent, quanquam accuratius debebat: „eine eindringliche Warnung“ adicere.[7]) At interpretandi illa ratio, quae ellipsis, quam vocant, adminiculo nititur, cum in universum ad veram rerum grammaticarum naturam perspiciendam nihil conferat, tum ne hoc quidem loco quicquam ea proficimus. Ab antiquiore potius consuetudine dicendi maximeque ab Homeri oratione profectos oportet nos posteriorem usum ita enucleare, ut infirmum illud auxilium abiciamus. Quod si fecerimus, tres quasi gradus orationis adsequemur. Eorum primus est hic: μὴ σαυτὸν οἰκτιεῖς ποτε = »absit, ut cogitem: te ipsum aliquando commiseraberis.« — Iam vero, quo magis vis sollicitudinis vel metus, quam in ipsis his verbis inesse sermonis contextu intellegimus, inlustretur, ὅπως eodem

---

1) velut φίλοις Lachmannus, φαιδροῖς Weilius, στέρξῃς Hermannus. Verba μὴ φιλεῖς repugnare legi grammaticae recte Hermannus admonuit in adnotationibus (tom. II editionis) p. 40 extr.

2) Item res se habet fragm. 11 D. (13 H.), ubi Bachmannus μή removit; fragm. 152 D. (157 H.), fragm. 238 D. (255 H.), qui versus nondum emendati sunt.

3) cf. part. I pp. 14 sqq., 59 sq.

4) οἰκτιῇς Guelf.

5) σκόπει in fine versus addere Lips., Aug., non Guelf. Hermannus adnotat.

6) Wecklinius omni explicatione supersedet, Schmidtius gramm. Graec. Krügeri § 62, 1 adn. 4 adfert.

7) velut H. Uhle, griechische Schulgrammatik (Leipzig 1883), § 262 adn. 1.

modo praefigitur, quo eae sententiae, quae optandi vim habent, incipere solent ab *εἰ γάρ* vel *εἴθε* vel *εἴθε γάρ* vel *ὡς* (hoc quidem simillime) *ὤφελ(λ)ον* vel *εἰ γὰρ ὤφελον* vel *εἴθ'* (*αἴθ'*) *ὤφελ(λ)ον*[1]); Latini autem particulam utinam usurpant. Fuerunt nimirum et huius modi enuntiata a principio omnia primaria et eam, de qua nunc quaerimus, sententiam per se stare iudicandum est. Quare in patrium sermonem ita fere eam convertere licet: „Dass du nur nicht dereinst dich selbst bemitleiden wirst (bemitleidest)!"[2]) — Differt autem indicativi futuri vis atque notio a coniunctivo aoristi, quem item iuxta *ὅπως μή* in usu scriptoribus Graecis fuisse notum est[3]), eo quod priore modo usus is, qui monet alterum, verba sua significat ad id pertinere, quod certo eventurum esse credat, coniunctivo pronuntiat id, quod ne possit fieri vel ne exspectari debeat, monens veretur.[4]) — Denique ex illo quasi medio gradu, qui in Aeschyli fabulis primum occurrit neque eum postea interisse exempla ostendunt a Kühnero l. l. conlecta, tertius gradus ita provenit, ut enuntiata illa ab *ὅπως μή* incipientia, cum ab initio non penderent ex altero enuntiato, sub verbum videndi vel curandi vel deliberandi vel simile aliquod subiungerentur: *ὅρα* (*σκόπει*, *φράζου* e. q. s. s.), *ὅπως μὴ* .... *οἰκτιεῖς ποτε* = vide ne (cave) quando te ipsum commisereris. Sed de his enuntiationibus infra videbimus.[5])

3) Iam vero, quoniam *ὅπως μή* iuxta indicativum futuri intra sententiam primariam uno exemplo Aeschyleo comprobari demonstravimus, pergamus deinceps ad eas enuntiationes, quibus res optata exprimitur, cuius cum contrarium revera sit factum, is qui loquitur scit non posse se participem fieri. Eius generis in carminibus Homericis sex exempla, in Hesiodeis legi unum supra cognovimus[6]), quae omnia *μή* cum *ὤφελ(λ)ον* (*ὤφειλον*) coniunctum exhibent. Aeschyli fabulas si circumspiciemus, cum careamus exemplo prorsus congruenti, reperiemus unum locum eodem pertinentem atque eum diversas in partes a viris doctis ita agitatum, ut ne hic quidem in sat firmis scripturae fundamentis sit positus.

Choeph. enim 363 sqq. D. (358 sqq. H., 352 sqq. K.) haec legimus:

> *μηδ' ὑπὸ Τρωΐας*[7])
> *τείχεσι*[8]) *φθίμενος, πάτερ,*
> *μετ' ἄλλῳ*[9]) *δουρικμῆτι*[10]) *λαῷ*
> *παρὰ Σκαμάνδρου πόρον τέθαψαι*, e. q. s.

---

[1]) cf. part. I p. 18; L. Langium, über den homerischen Gebrauch der Partikel *εἰ*, pp. 31 sqq.; Kühnerum, l. 1 § 395, 6 (p. 194); adn. 4 (p. 195); § 509, 8 (p. 726).

[2]) cf. E. Kochium, griechische Schulgrammatik, ed. IX (Lipsiae 1882) § 111 adn. 2 (p. 268); qui tamen non debebat dicere: „*ὅπως* und *ὅπως μή* mit dem Indic. Fut. stehen manchmal ohne Hauptsatz", sed ita potius: „. . . . . stehen manchmal am Anfange eines Hauptsatzes", vel ita: „ . . . . leiten manchmal einen Hauptsatz ein".

[3]) Exempla habes non pauca apud Kühnerum, l. 1 § 552, 2 adn. 6 (p. 894).

[4]) cf. eundem, § 394, 1 (p. 183).

[5]) cf. pp.

[6]) cf. part. I pp. 18 sqq., 44 (etiam p. 58 sq.).

[7]) *Τρωΐοις* Hermannus. *τρωΐας* M.

[8]) *τείχεσι* emend Heathius, *τείχεσσι* M.

[9]) *ἄλλῳ* emend. Stanleius, *ἄλλων* M.

[10]) *δουρικμῆτι* emend. Blomfieldius, *δορικμῆτι* M. — Ceterum de eis, quae proxime disputantur, cf. Hermannum, l. l. pp. 528 sq.

Verba μηδέ et τέθαψαι fieri non posse apparet, ut alterum iuxta alterum recte se habeat. Itaque Ahrensius scholiastae vestigia secutus, qui haec ascripsit: λείπει τὸ ὤφειλες, incidit in τεθάφθαι eique Hermannus, Dindorfius, Kirchhoffius adsensi sunt. Sed Hermannus, cum τεθάφθαι scribendum esse dicat apparere, deesse verbum, ex quo infinitivi (subsequitur enim in proximo versu etiam δαμῆναι) pendeant, recte contra Ahrensii coniecturam mihi videtur proferre; nam ὤφειλες, id quod vult scholiasta, subaudiri vix crediderim. Quod ne opus sit, Hermannus πέπρωσο post τεθάφθαι excidisse opinatur et hanc proponit sententiae translationem: Utinam ne tibi.... ad Scamandri fluenta sepeliri.... fatum fuisset. — Atque ea ad orationis contextum plane esse apta quis est quin concedat? Etenim illa Electrae verba, quae antistropha continentur, contraria sunt eis, quae strophae antecedentis versibus 345 sqq. Orestes optaverat: »Utinam ab aliquo Lyciorum hasta esses percussus!« Nihilo minus Hermanni emendatio repudianda mihi videtur propterea, quod et ab librorum fide ea nimis longe recedit nec personalis, ut ita dicam, usus verbi πέπρωσο aut eo, quod ille adfert, exemplo (μοῖρα πέπρωται Prom. 512) aut ullo alio loco comprobatur. Neque tamen, si quid video, sumus emendandi potestate destituti. Quid enim? nonne et eadem, quam Hermannus voluit, sententia et simillima orationis conformatio efficitur, si Aeschylum haec scripsisse suspicamur:

μηδ᾽ ὑπὸ Τρωΐας
τείχεσι........
........τέθαψο?

Iam adhibeamus, quae v. 345 leguntur: εἰ γάρ; plenam adsequimur hanc enuntiationem: εἰ γὰρ μή....τέθαψο = utinam ne sepultus iaceres[1]). — Sed ne quis in plusquamperfecto obfendat, alterum suppetit exemplum, quo ea res haud dubie confirmatur. Nam Prom. 157 D. ἐγεγήθει legitur intra sententiam finalem ab ὡς μή incipientem, quae optationi verae rerum condicioni repugnanti adiungitur[2]). Utroque loco forma plusquamperfecti, ut adsolet, imperfecti vi induta est; nihil igitur obstat, quominus etiam illud usurpetur in isdem sententiis vel finalibus vel optativis, in quibus saepius imperfectum usurpari satis constat[3]).

4) Proximum est, ut eos locos perlustremus, in quibus intra sententias interrogativas μή cum indicativo coniunctum legitur. Hoc genus ab Iliade esse alienum, in Odyssea bis reperiri supra demonstravimus[4]); posterius aetate exemplum adhuc se obtulit nullum. In tragicorum autem fabulis ipsius interrogationis formam frequentissime esse usurpatam quoniam prorsus convenit cum natura atque proprietate poesis scaenicae, ne hoc quidem est cur miremur, quod eius, de quo quaerimus, usus exempla exstant aliquanto crebriora.

Dividi ea possunt in genera tria.

a) Primum genus nullo adhuc exemplo comprobatum est, sed ab Aeschylo initium cepit[5]). Complectitur enim eas enuntiationes, quae adverbio proprie interrogativo non instructa

---

[1]) Quid de altero infinitivo δαμῆναι faciam, non habeo; cogitavi quidem de ᾽δάμησαν = ἐδάμησαν, sed Guil. Dindorfius in lexico Aeschyleo (Lipsiae 1876) p. 263 negat poetas Atticos aphaeresi post οὕτω usos esse.

[2]) Idem locus in numero enuntiationum subiunctarum iterum commemorabitur.

[3]) cf. Kühnerum, l. l. § 395, 6 adn. 4 (p. 195).

[4]) part. I pp. 20 sq.

[5]) cf. W. Bäumleinium, Untersuchungen über griechische Partikeln (Stuttgart 1861), pp. 302 sqq.; Kühnerum, l. l. § 587, 11 (p. 1024).

sunt, sed ab mera ac simplici particula μή incipiunt. Quo fit, ut interrogandi vis solo ipsius orationis cursu efficiatur, μή particula, quam sua natura non tenere munus adverbii interrogativi saepius probavimus, eum, qui interrogat, cogitationem iniucundam repudiare significet.

Numerus exemplorum est sex. De quibus duo exhibent indicativum praesentis, unum aoristi, in singulis indicativus aut praesentis aut imperfecti subauditur, in sexto legitur indicativus futuri. In carminibus Homericis tantummodo indicativum praesentis repperimus. — Personam videmus praeter secundam et tertiam etiam primam. — Loci sunt hi:

1. Prom. 959 sq. D. (963 sq. H., 958 sq. K.):

μή τί σοι δοκῶ
ταρβεῖν ὑποπτήσσειν τε τοὺς νέους θεούς;

2. Pers. 344 D. (339 H., 342 K.):

μή σοι δοκοῦμεν τῇδε λειφθῆναι μάχῃ[1]);

3. Prom. 247 D. (249 H., 250 K.):

μή πού τι προὔβης τῶνδε καὶ περαιτέρω[2]);

4. Suppl. 295 D. (281 H., 284 K.):

μὴ καὶ λόγος τις Ζῆνα μιχθῆναι βροτῷ; scilicet: ἐστίν;

Hic locus ea re ab reliqua turba differt, quod interrogationem responsum subsequitur adfirmativum. Nec tamen licet eam ob causam aut μή de medio tollere[3]) aut interrogandi vim eandem existimare esse, quae alioquin in οὐ particula inesse soleat: »nonne etiam fama aliqua est?« Contextus potius orationis docet »regem cognita habere ea, de quibus quaerit, et quaerere dumtaxat, ut exploret, verane an falsa dicant virgines[4]).« Rex igitur simulat se famam illam non esse opinari et ita quaerit, quasi speret fore ut virginum responso haec opinio confirmetur; accipit revera responsum interrogationis consilio repugnans: »(Non modo fama est, sed) etiam clam Iunone deus complexus dat[5]).« — Ergo hoc quoque loco μή suum prohibendi negotium explere constat.

5. Agam. 681 sqq. D. (659 sqq. H., K.):

τίς ποτ᾽ ὠνόμαζεν[6]) ὧδ᾽
ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως —
μή τις ὅντιν᾽ οὐχ ὁρῶμεν . . . . . .; scilicet: ὠνόμαζεν;

---

[1]) δοκῶμεν M. et ceteri libri omnes praeter Guelf., qui habet δοκοῦμεν. — ληφθῆναι M.; λειφθῆναι recte Lips. — Pluribus hunc locum persequitur Hermannus (l. l. p. 195) et ita vertit Aeschyli verba: „numquid hac ex parte (= τῇδε, i. e. numero) tibi videmur inferiores fuisse?" — Quare Heimsoethii coniectura ἦ σοι minime opus est.

[2]) Scholiasta haec adnotat: ἐρωτηματικῶς. μὴ ἕτερον ἥμαρτες ἁμάρτημα; — Wecklinius l. l.: „der Chor ist geneigt, sich die Härte der Strafe aus einem schweren Verbrechen zu erklären;" hac vero cogitatione vel suspicione interrogantes, utpote quae eorum animis non arrideat, student se expedire.

[3]) id quod Weilius conatus est, cuius emendationem vix cuiquam probabilem Dindorfius commemorat.

[4]) Verbis usus sum Hermanni, l. l. p. 16 ad vers. 280.

[5]) Eadem fere Kühnerus exponit, l. l § 587, 11 adn. 13 (p. 1024): „Wenn auf . . . μή . . . eine bejahende Antwort erfolgt, so geschieht dies immer wider Erwarten des Fragenden;" adicere hoc debebat: „scheinbar wieder Erwarten."

[6]) ὠνόμαξεν? (= coepit nominare) Hermannus, l. l. p. 424; cf. F. W. Schneidewinum, l. l. p. 197 (v. 751). — Idem hanc obfert interpretationem: „an aliquis (= doch nicht etwa jemand), quem non videmus?" e. q. s.

6. Consulto post reliqua conloco id exemplum, quod indicativum futuri continere snpra dixi: Sept. 250 D. (233 H., 232 K.) Huius enim, si minus sententia, at ratio grammatica difficilior est ad diiudicandum. Neque desunt, qui id non tam interrogationibus, quam adfirmativis enuntiatis adnumerandum esse arbitrentur. — Virgines Thebanae strepitum ac tumultum ad portas urbis magis magisque augescentem audiunt atque timore se perterreri profitentur. Eas Eteocles conticescere nec quicquam earum rerum per urbem enuntiare iubet. Verba autem in editionibus et Dindorfii et Kirchhoffii haec leguntur:

οὐ σῖγα μηδὲν τῶνδ' ἐρεῖς κατὰ πτόλιν[1]);

Sed Dindorfius in lexico Aeschyleo, cum duobus locis[2]) illa scriptura inveniatur, hanc quoque profert[3]):

οὐ σῖγα; μηδὲν τῶνδ' ἐρεῖς κατὰ πτόλιν;

Hermannus vero interrogationis finem esse vult post *σῖγα*, quae reliqua sunt, pro sententia habet adfirmativa; itaque sic interpungit:

οὐ σῖγα; μηδὲν τῶνδ' ἐρεῖς κατὰ πτόλιν.

Quid igitur? quam scripturam ceteris anteponamus? Mihi quidem et prima et tertia posthabenda videtur esse propterea, quod neque illa »*μηδὲν .... ἐρεῖς.*« Aeschyli consuetudine dicendi satis comprobantur[4]) et hoc dubium esse infra [5] demonstrabimus, an particularum *οὐ μή* iuxta indicativum futuri copulatio ab Aeschylo quidem abiudicanda sit. — Relinquitur ea scriptura, quae medium locum tenet. Hanc si probamus, duplex oritur interrogatio. Ea, quae ab *οὔ* incipit, graviter imperantis, quae ab *μή*, graviter vetantis est. Altera alteram confestim excipit; priori, — id quod Hermannus quoque statuit — tanquam tempus loquentem defecerit, deest notio verbalis. Haec autem omnia vel aptissima mihi esse ad Eteoclis concitatam animi adfectionem videntur, quae luculentius etiam aperitur iis, quae v. 252 leguntur:

οὐκ ἐς φθόρον σιγῶσ' ἀνασχήσει τάδε;

Accedit, quod verborum structura omni ex parte ad Aeschyli consuetudinem se accommodat. Namque et *οὔ* et *μή* in sententiis interrogativis ab eo haud ita raro adhiberi et ei loci docent, quos Dindorfius[5]) conlegit, et ipsi nos modo explicavimus. Deinde adverbium *σῖγα*, ut Sept. 250 indicativo futuri, ita imperativo caret e. g. Agam. 1344 D. (1304 H., 1299 K.):

σῖγα· τίς πληγὴν ἀϋτεῖ καιρίως οὐτασμένος;

Denique simillimam contrariarum interrogationum rationem inesse commemoro in Sophocl. Ai. v. 75:

οὐ σῖγ' ἀνέξει μηδὲ δειλίαν ἀρεῖ;

Quae cum ita sint, mihi quidem dubium non est, quin versum illum Aeschyleum sic interpungi oporteat:

οὐ σῖγα; ´μηδὲν τῶνδ' ἐρεῖς κατὰ πτόλιν;

b) Alterum exemplorum genus est eorum, quae oriuntur ab adverbio *μῶν*. Hoc ex *μή* et *οὖν* (*ὦν*) compositum eodem modo esse, quo ex *οὐκ* et *οὖν* coaluerit *οὐκοῦν* vel *οὔκουν*, ab nullo fere hodie negatur. Cum enim *οὖν* adicitur, interrogatio conclusionis instar ad

---

[1]) *οὐ. σίγα.* M. (cf. Herm. l. l. p. 289); *σίγα* recte se habere non posse ex metro apparet.

[2]) pp. 257, 6 extr. et 326 s. v. *σῖγα*.

[3]) p. 215 s. v. *μηδείς*.

[4]) cf. pp. 6 sqq.

[5]) in lexico Aeschyleo, p. 256, 6 extr.

sententiam superiorem adnectitur: „num igitur ....“ (doch nicht also). Sed huius contractionis et primae significationis memoria adeo imminuebatur, ut μῶν, ubicunque libris proditur, nihil differat ab simplici μή nisi paulo maiore vi. Quo magis autem concludendi ratio efferatur, ad μῶν aliquotiens alterum οὖν adiungitur [1]).

Sicut nuda particula μή nec Homerus nec posteriores poetae ad interrogandum usi sunt, ita ne μῶν quidem ante Aeschyli aetatem reperitur [2]). Hunc primum inter scriptores Atticos et μῶν et μῶν οὖν usurpasse iudicandum est; indicativi autem ad ea adiuncti tria exempla exstant. E quibus unum habet indicativum praesentis; Suppl. 417 D. (402 H., K.):

7. μῶν οὐ δοκεῖ δεῖν [3]) φροντίδος σωτηρίου;

Cum οὐ δοκεῖ contrarium sit verbo δοκεῖ (= non videtur, displicet, dissentis), per μή autem rex Argivorum dissensionis opinionem se repellere studere significet (= num non videtur, num displicet, num dissentis?), eadem sententia evadat necesse est, quae per οὐκουν effici solet: »Nonne videtur? du meinst doch wohl [4]).“ Ergo ea, quae rex v. 407 D. (392 H., K.) adfirmaverat, postquam pluribus comprobavit, in extrema oratione, ut chori adsensio eliciatur, per interrogationem repetuntur. — Eam autem rationem miror Hermannum non videri perspexisse. Nam ineptissime is μῶν οὐ δοκεῖ inde a Turnebo legi et contrarium dici debere ratus haec proposuit: μῶν σοι δοκεῖ ..; quae ita vertit: »Intellegisne nunc opus esse accurata deliberatione [5])?« — Sed illud »intellegisne« non habet eandem vim atque haec: μῶν σοι δοκεῖ, sed in Graecum sermonem hoc modo transferendum sit: ἦ vel ἆρα δοκεῖ; Etenim et Latinorum illo, quod alterius vocabuli fini subfigitur, ne et nudis ἦ vel ἆρα particulis, utrum responsum sit adfirmans an negans futurum, ab eo, qui interrogat, in medio relinquitur [6]). Quare μῶν, siquidem οὐ abest, non possumus nisi ita interpretari: »Num intellegis, du glaubst doch nicht?« Eam vero sententiam pravam esse apparet, quippe quae nec cum initio orationis (v. 407 D.) nec cum eis congruat, quae subsequuntur: φρόντισον καὶ γενοῦ πανδίκως εὐσεβὴς πρόξενος. — Itaque recte nemo fere Hermanni argumentationi adsensus est.

8. Alterum exemplum indicativum imperfecti obfert. Mediceus certe Choeph. 177 D. (171 H., 169 K.) haec habet:

μῶν οὖν Ὀρέστου κρύβδα δῶρον ἦ τόδε [7]);

---

[1]) Kühnerus (l. l. § 587, 12 pp. 1024 sq.) discrimen statuit inter id οὖν esse, quod cum μή coaluerit, et id, quod ad μῶν accedat; alterum esse „confirmativum“ (= profecto, in der That, fürwahr, jedenfalls), — eamque primam ac genuinam notionem fuisse demonstrare § 508 (pp. 707 sqq.) studet — alterum „consecutivum“ (= igitur, ergo, also, daher) idque posteriore demum aetate ex illo οὖν „confirmativo“ emanasse; itaque, quod μῶν οὖν legamus, non esse cur miremur. — Longum est accuratius in hanc rem inquirere; hoc dico eam distinctionem, cum praesertim alterum οὖν nullo vocabulo interiecto ad μῶν adseri soleat, nimis argute mihi excogitatam videri.

[2]) cf. Bäumleinium, l. l. pp. 302 sqq. — Quae is dicit: „Die Fragesätze, die μή oder μῶν haben, ... enthalten eine vom Subjekt ausgehende Verneinung. Das Subjekt will die Frage verneint wissen;“ nihil valent ad rem explicandam. Nam hoc quidem in omnibus interrogationibus aeque solet evenire, ut cogitatio, sive adfirmat aliquid sive negat, ab subiecto, quod vocant, oriatur. — Ceterum videas part. I. p. 10.

[3]) δοκεῖν δεῖ Med.; δοκεῖ δεῖν emendavit Turnebus.

[4]) cf. Kühnerum, l. l.: „Wenn zu μῶν die Negation οὐ tritt, so wird die Frage bejahend (nonne).“

[5]) l. l. p. 22.

[6]) cf. Kühnerum, l. l. § 587, 13. 14 (pp. 1026 sq.)

[7]) ἦ, non ἦι (Hermannus l. l. p. 517 ῇ refert) in Med. inesse diserte Dindorfius adfirmat. ἦ Fr. Frankius retinuit in commentatione I de particulis negantibus linguae Graecae, p. 19.

Scholefieldus autem princeps pro ἦ scribendum ἦν esse perspexit et eius auctoritatem Dindorfius et Kirchhoffius secuti sunt. At et Hermannus coniunctivum ᾖ praetulit et Kühnerus defendit: meo quidem iudicio non recte. Nam quod ille adhibet exemplum (Eur. Iphig. Aul. 321), quoniam coniunctivus *ἀνακαλύψω* dubitationem (ich soll aufdecken), non metum significat, ad rem aptum non est; eis vero locis, ad quos Kühnerus nos revocat[1]), non modo nihil probatur, sed hoc etiam efficitur, ut contrarium nobis persuadeamus. Cognoscimus enim coniunctivo id exprimi, quod futurum est, non id, quod iam factum est, aut quod, postquam accidit, adhuc continuatur[2]). Atque ipse Kühnerus p. 1041 exemplis comprobavit de eis rebus, quas postremo loco commemoravimns, indicativum usurpari[3]). Quare sibi eum non constitisse apparet. — Iam vero eo, de quo nunc quaerimus, loco non esse sermonem de futura re contextu orationis docemur. Quocirca recte Scholefieldus emendando indicativum imperfecti restituit: »Num ergo Orestis clandestinum donum erat hoc?« videlicet tum, cum is cincinnum sepulcro Agamemnonis imposuit. Atqui, quod tum donum erat, manifesto est etiam eo tempore, quo Electra id reperit. Itaque in imperfecto simul praesens tempus latere putandum est.

9. Subauditur indicativus aoristi Agam. 1203 D. (1162 H., 1157 K.):

μῶν καὶ θεός περ ἱμέρῳ πεπληγμένος; scilicet: *ἐπέστησεν*;

c) Reliquum est tertium genus, cuius haec proprietas est, ut interrogatio propria particula luculentius indicetur. Id Homero pro regula, ad quam orationem dirigeret, videtur fuisse; nam duo ea, quae huc pertinent, exempla initium capiunt ab ἦ *μή*[4]). Aeschylus particulam ἦ, cum aliter ea persaepe utatur, ante indicativum cum negatione *μή* coniunctum nusquam, sed illius loco ἆρα usurpat, quod Homero incognitum, apud scriptores Atticos maxime usitatum erat[5]). — ἆρα solum per se nec adfirmans nec negans responsum exspectari significat: cum *μή* adicitur, ab eo, qui interrogat, prohiberi interrogationis sententiam et negans responsum desiderari consentaneum est.

10. Exemplum libris proditur unum, ad quod alterum accedit admodum incertum. Illud legitur, subsequente indicativo aoristi, qui gnomicus dici solet[6]), Sept. 208 sqq. D. (190 sqq. H., K.):

τί οὖν; ὁ ναύτης ἆρα μὴ[7]) *᾽ς πρῷραν*[8]) *φυγὼν*
πρύμνηθεν εὗρε[9]) *μηχανὴν σωτηρίας,*
νεὼς καμούσης ποντίῳ πρὸς κύματι[10]);

---

[1]) l. l. § 589, 2 (pp. 1038 sq.).

[2]) cf. part. I pp. 14 sqq.

[3]) Quae dicit: „welcher entweder stattfindet oder gefunden hat,“ ea recte se habent; quae addit: „oder finden wird,“ veritate carent.

[4]) cf. part. I pp. 20 sq.

[5]) cf. Kühnerum, l. l. § 587, 14 (pp. 1026 sq.); Krügerum, poetisch-dialektische Syntax § 67, 2 A.

[6]) de quo cf. Kühnerum, l. l. § 386, 7 (pp. 136 sqq).

[7]) De conlocatione adverbii *ἆρα* Kühnerus p. 1026 haec docet: „Als Fragwort steht es an der Spitze des Satzes, in der Dichtersprache jedoch zuweilen . . . . nach einem oder mehreren Wörtern.“ Hoc fit etiam in eo, de quo agimus, loco Aeschyleo, eo videlicet consilio, quo fortius nomen substantivum *ὁ ναύτης*, quippe quod contrarium eis sit, quibuscum Eteocles conloquitur, oratione efferatur.

[8]) *πρῷραν* D., H., K.; *πρώραν* M.

[9]) *ηὗρε* D.; *εὗρεν*, eraso *ν*, M.

[10]) *ἐν κύματι?* M.; *ποντίοισι κύμασι?* K; cf. Herm. l. l. p. 285.

»Quid igitur? nauta num (doch nicht etwa) in proram fugiens ex puppi repperit facultatem salutis?« Quod usu venire quoniam Eteocles per interrogationem infitiatur, recte scholiasta haec adfert, quae inde conliguntur: *οὐκοῦν* (ergo) *οὐδὲ ὑμεῖς μηχανὴν σωτηρίας . . . εὑρήσετε.*

Valde dubium esse supra dixi alterum exemplum fragm. 63 D. (60 H.), ubi »Aeschylum fortasse ita scripsisse Hermannus suspicatur:

. . . . ἆρα μὴ χλούνης τις ἦν[1]);

»ut *χλούνης* locustam significaret.«

Ergo hoc exemplo praetermisso decies ab Aeschylo intra interrogationes solutas *μή* cum indicativo esse conexum nostro iure contendamus[2]).

5) Sed antequam de enuntiationibus primariis disputare desinamus, breviter perstringere eos locos debemus, quibus *οὐ μή* ab Aeschylo cum indicativo futuri coniuncta esse sunt qui iudicaverint. Namque cum neque hic dicendi usus ullo exemplo eorum, quos priore parte perlustravimus, scriptorum potuerit ostendi neque omnino particularum *οὐ μή* alterius iuxta alteram copulatio comprobari[3]), hoc ipsum non mediocris momenti est, utrum Aeschylum principem ea re esse usum existimemus an ab illo quoque eam abiudicemus. — Ac primum non est dubium, quin is *οὐ μή* haud ita raro usurpaverit; id quod exempla docent a Dindorfio congesta[4]). Iam vero, quaecunque hic proposuit, in eis omnibus inesse intellegimus coniunctivum aoristi. Itaque idem vir doctus in extrema explicatione recte haec addidit: »Aeschyli exempla ad solos pertinent coniunctivos aoristi.« Quo enim loco liber Mediceus *οὐ μή* iuxta indicativum futuri habere videtur, Prom. 340 D. (342 H., 344 K.):

τὰ μέν σ᾽ ἐπαινῶ κοὐδὲ μὴ λήξω ποτέ·

nec quicquam impedit, quominus *λήξω* ex reliquorum exemplorum similitudine pro coniunctivo aoristi habeamus, et hodie ab omnibus, quos quidem inspexerim, interpretibus ex recentiorum librorum auctoritate haec leguntur:

κοὐδαμῇ (*κοὐδαμῆ* Dind.) *λήξω ποτέ*[5]).

Suppl. 924 D. (891 H., K.) autem libri hanc scripturam ostendunt:

ἄγοιμ᾽ ἄν, εἴ τις τάσδε μὴ ᾽ξαιρήσεται.

Quae cum Tyrwhittus hunc in modum emendanda putaret:

οὔ τις τάσδε μὴ ᾽ξαιρήσεται·

recte Hermannus[6]) nihil mutandum arbitratus est, sed »praeconem videri nonnihil territum

---

[1]) Libris haec produntur: *ἄραμα χλούνης τις ἦ.*

[2]) Non pertinent ad nostram quaestionem Agam. 672 D. (650 H, K.): *λέγουσιν ἡμᾶς ὡς ὀλωλότας· τί μή;* — Subauditur enim hoc quidem loco non indicativus *λέγουσιν*, sed coniunctivus *λέγωσιν* = „quidni dicant?“ Ceterum haud scio an haec praeferenda sint: *τί μήν;* velut Herwerdenus emendavit Soph. Ai. 668, eamque probavit emendationem Nauckius (Sophokles, erklärt von F. W. Schneidewin, 1. Bändchen, 8. Auflage besorgt von A. Nauck, Berlin 1882, p. 189). Eadem leguntur etiam Aesch. Eum. 203 D. (202 H., 201 K.).

[3]) part. I p. 61.

[4]) l. l. p. 257, 7 (ubi addendum est in versu 8 inde a fine: Eum. 225); cf. etiam quae Hermannus adnotat ad Agam. 1640 et Suppl. 399, et Hartungium, qui eandem rem tractavit in libro qui inscribitur: „Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache“ (Erlangen 1833) II, pp. 155 sqq.

[5]) cf. Hermannum, l. l. p. 78.

[6]) l. l. p. 47.

3*

increpatione regis iam minus confidenter loqui: »abducam, nisi tu mihi has eripias[1]).« At quae proxime dixit potuisse praeconem ita loqui, ut Tyrwhittus vellet, ea mihi Aeschyli dicendi consuetudine improbari videntur. Nam in huius fabulis indicativi futuri iuxta *οὐ μή* certum exemplum exstare nullum contenderim; quamobrem non licet emendando vel coniectando potius ne potestatem quidem illius structurae, cum praesertim ea non desideretur sententia, in Aeschyli orationem inducere. Neque est, cur hoc quidem tempore in eiusmodi enuntiationum natura et origine explicanda moremur ac non tum id negotium subeamus, cum exempla et dubitatione vacua et ad propositam rem pertinentia reperientur. Dindorfii rationem *οὐ μή* habere originem ellipticam et pro *οὐ δέος ἐστὶ μή* esse dictum existimantis[2]) abhorrere ab nostro iudicio satis ex eis intellegitur, quae p. 8 de ellipsi, quae vocatur, in universum exposuimus. Nec minus dignam, quae repudietur, esse Kühneri opinionem, quippe qui *μή* vi interrogativa (= ob nicht) indutam esse velit[3]), apparet ex part. I p. 15 extr. — At optime puto Kvicalam veram huius rei naturam perspexisse atque inlustrasse[4]); is enim nec prohibitiva *μή* particulae significatione sublata nec ellipsi ad interpretandum adhibita hanc summam adsequitur, ut, cum *οὐ μή* conectantur, fortiorem vim atque fiduciam vel interrogandi vel vetandi oriri demonstret, quam cum simplex *μή* usurpetur.

B.

De enuntiationibus ab *εἴ* incipientibus.

Intra enuntiationes primarias exemplorum numerum computantes locos tredecim effici cognoscemus, quibus *μή* cum indicativo coniunctum legatur. Eius speciei, ad quam hoc capite transituri sumus, huc usque copiam congessimus exemplorum septuaginta duorum, e quibus longe maximam partem (quinquaginta sex) carminibus Homericis contineri vidimus[5]). Nec non suppetit in fabulis Aeschyleis largior facultas harum enuntiationum; de quibus quoniam in univerum supra accuratius L. Langii auctoritate nisi disseruimus, iam liceat statim varia earum genera in uno conspectu ita ponere, ut diligentius in eas tantummodo inquiramus, quarum propria et singularis natura id requirere videatur.

Distributionem autem obfero hanc:

I. Diversa ab reliquis maximeque idonea, ex quibus condicionalis structurae, qualis postea fuit, veram naturam et originem cognoscamus, duo haec exempla sunt inter se satis similia:

a) Agam. 1308 D. (1267 H., 1262 K.):

τί τοῦτ᾿ ἔφευξας; εἴ τι μὴ φρενῶν στύγος.

Supplendum haud dubie est: *ἐστίν*[6]).

---

[1]) Prorsus apta haec ratiocinatio est ad verba *ἄγοιμ᾿ ἄν*, nam optativus cum *ἄν* coniunctus item quasi leniorem sententiae vim efficit quam indicativus futuri.

[2]) l. l. p. 257, 7.

[3]) l. l. § 516, 9 (pp. 773 sq.).

[4]) Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien, 1856 pp. 745 sqq., 825 sqq.

[5]) cf. part. I pp. 21 sqq., 43, 44 sq., 50 sq., 53.

[6]) Falso Schneidewinus l. l.: „Zu *εἴ τι μὴ φρ. στ.* ist wohl (!) *ἔφευξας, ἔστενες*, zu denken.“

b) Agam. 477 sqq. D. (456 sq. H., K.):

εἰ δ' ἐτήτυμος (scilicet: βάξις),
τίς οἶδεν; εἴ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος[1]).

Utrique loco apodosis deest; ergo enuntiatio ab εἴ incipiens non est subiuncta protasis condicionalis, sed sententia per se stans et primaria. εἴ particula non significat hypothesim, sed ad sumptionem rei tanquam verae luculentius exprimendam indicativo praefigitur; μή hanc ipsam sumptionem tanquam iniucundam reicit[2]). Quare idem argumentum cogitationis nascitur in his locis Aeschyleis, quod in Homeri versu **E** 177 inesse ostendimus[3]): »Dum modo ne hoc vel illud sit[4]).« Quod quoniam ad metuendi notionem redire apparet, permagna sententiae similitudo etiam cum eo loco intercedit, quem pp. 8 sq. tractavimus: ὅπως μὴ σαυτὸν οἰκτιεῖς ποτε.

II. Adsunt et apodosis et protasis condicionalis. Constructio orationis iam ea est, ut apodosis sit sententia primaria, protasis subiuncta. Protasis hypothetica saepius praecedit, rarius subsequitur apodosim, cum ex contrario posterior ordo in carminibus Homericis paene legis instar observari soleat[5]) — Genera exemplorum pro varietate temporum, quae εἰ μή particulas excipiunt, haec discernuntur:

a) In protasi exstat indicativus praesentis (7).

1. Apodosis item habet indicativum praesentis (2):
   Agam. 1088 D. (1047 H., 1042 K.). — ἐστίν subauditur Agam. 1239 D. (1198 H., 1193 K.)[6])
2. Apodosis habet optativum praesentis cum ἄν coniunctum (1):
   Eum. 887 D. (874 H., 879 K.)
3. Apodosis habet indicativum futuri (2):
   Suppl. 902 D. (868 H., 870 K.) Choeph. 273 D. (270 H., 265 K.)[7])
4. Apodosis habet imperativum praesentis (1):
   Agam. 1060 D. (1019 H., 1013 K.)
5. Apodosis habet imperativum aoristi (1):
   Prom. 196 D. (198 H., 199 K.)

b) In protasi exstat indicativus perfecti (4).

---

